

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XLVII.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Rectore

Respondente

DAVIDE Schellhammer

Hamburg. Sax.

Dominica XVI. poſt Trinitatis.

A. O. R. cl. l. c. III.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-
ſchlegelij*



ANALYSIS

EVANGELII

DOMINICA XVI. POST TRIN-
NITATIS.*Luc. 7. à vers. 11. usq. ad 18.*

Περίμλιον.



*E*lias 2. Reg. 17, 22. in Sarepta
propè Sidonem filium vidua re-
suscitavit ex mortuis eumq. resti-
tuit matri suae. v. 23. Geminum
miraculum nobis proponitur, quòd Jesus Chri-
stus, quem Judai putant esse Eliam Matth. 16,
14. ad oppidum Nain, hanc procul à Caper-
naum, prestavit in Evangelio.

THESIS I.

In quo haberetur exemplum, tum hu-
manæ mortalitatis: apud quam occurrit ac-
ciden-

Kk

ciden-

cidentium notatio. v. 11. in quo tūc cū-
 circumstantiæ partim temporis : Et factum
 est deinceps in die consequenti. Postquam
 scilicet sanasset servum Centurionis paralyti-
 cum ; quæ historia immediatè præcedit. In
 Græco enim ἐν τῇ ἐξῆς subintelligitur ἡμέρα,
 uti & Syrus habet ; die postera. Post sanatum
 infirmum resuscitat mortuum quia infirmitas
 præcedit mortem. Ut discamus, nos habere
 Dominum, & salvum facientem, & à mortè
 liberantem Psalm. 68, 21.

2. Partim loci : Ibat in civitatem,
 quæ vocatur Nain. Quæ non procul à civi-
 tate Sunem in loco amœnissimo. Undè & ap-
 pellationem habet usq̄ hodiè ait Hieronymus
 de locis Hebraicis, secundo miliari à Thabor
 monte ostenditur contra meridiem juxta En-
 dor. Innuitur autem nullo posse loco mortem
 excludi.

3. Tūc concomitantia in specialibus,
 ratione professionis. Et ibant cum eo disci-
 puli ejus multi. 12. Apostoli, & discipuli 70.
 quorum opera usus est in divulgatione Evan-
 gelii.

4. Et in generalibus ratione confes-
 sionis : turbaque copiosa est. In cujus pre-
 cio semper Christum fuisse patet, cum passim è-
 li ad

li adhesisse legatur. Non quasi processionem habuerit, quia nondum cœna instituta erat; neq; pompa aliqua celebrata fuit; sed uti solebant, sequebantur Christum propter miracula, & propter doctrinam. Ut nos disceremus aequè sequi constanter credendo; fides enim apprehensio est Joh. 4. 12. piè vivendo Matth. 11. 19. salutem enim ubiq; est operatus Dominus, propterea pervagatus est omnes regiones.

5. Et mortui elatio. v. 12. In quo iterum notatur tùm tempus: cùm autem appropinquaret. Quo enim propior Deus, eò graviora sunt pericula sæpè, & miseria vehementior; ut, qui in angustiis vult adesse nobisq; succurrere.

6. Tùm locus: portæ civitatis. Pergebat enim ubi sciebat esse confluxus hominum, ut eis annuntiaret verbum vitæ; pergebat, ubi sciebat infirmos, ut eos misericorditer curaret; pergebat, ubi sciebat pauperes & miseros esse, ut eis consolationē exhiberet: satis confundens eorum duriciem, qui declinant loca, ubi sciunt pauperes & miseros esse, ne fortè eorum presentia & importunitate eis compati & subvenire cogantur, habet Ardentius. Aliàs in portis iniustitia exercebatur. Amos. 5. 1. Vel cùm hostibus agebatur Psalm. 127. v. ult. Hic vi-

duarum patronus sit obviam, ait Basilus Seleuciensis orat. 10.

7. Tùm narratur occasio secuti miraculi, partim ab objecto respectu mortui, quod ostenditur: Et ecce defunctus efferebatur filius. *Ita egreditur mortuus, & ingredienti occurrit vita, ait Basilus Seleuciensis. Efferebatur ex urbe pulcherrimâ; siquidem ubiq; moriuntur homines, & quocunq; se verit homo, semper habet mortem presentem, habet Idiota de mortis contemplatione c. 19. Mors ubiq; nos invadit. Mors ubiq; nos expectat, & tu, si sapiens, addit Augustin. libr. de spiritu & anima c. 51. ubiq; eam expectabis.*

8. Efferebatur verò, quia apud Judæos consuetudo erat mortuos suos extra urbes sepeliendi, ut testatur exemplum Abrahami Gen. 23, 13. Lazari Joh. 11, 38. Josephi Arimathiensis Joh. 19, 41. & Gergesenorum Marc. 5, 2. Romani aliquandiu sepulchra habuerunt in edibus postmodum legibus 12. tabularum mandatum est, ut extra urbem contumularentur mortui. Quoniam admodum etiam nostra sunt cœmeteria pleriq; in locis extra urbem, propter aëris puri conservationem, propter locorum religiositate; & ut revocemus nobis

in me-

in memoriam, nos non esse cives huius mundi
 & non habere proprium locum manentem.
 Philip. 3, 20. Ebr. 12, 22. Cùm verò filius di-
 citur elatus facile colligitur, etiam juvenes
 mori: neq̄, ulla est aut magno aut parvo lethi
 fuga Job. 3, 19. moritur dives & pauper Psal.
 49, 3. doctus & indoctus Ecclesiast. 2, 16. mo-
 ritur Davidis puerulus 2. Sam. 12, 18. Jerobo-
 ami filius 1. Reg. 14, 17. sicuti enim in Adamo
 omnes peccaverunt, ita etiam in Adamo omnes
 moriuntur, Rom. 5, 12. Viret unusquisq̄, ut
 arescat, adolescit ut senescat, adscendit ut de-
 scendat, vivit ut moriatur, habet Cyprianus
 tract. 1. contra Demet. Non ergò simus sec-
 ri Sir. 7, 40. sed simus humiles, Sir. 10, 9 & vi-
 za nostra fragilitatem meditemur. Est enim
 vapor, Jac. 4, 15. est umbra, Job. 24, 19. est
 transitus umbra, Sap. 2, 5. est ventus, Job. 3,
 7. transiit ut spuma, Osea 16, 7.

9. Et describitur à relato: unicus
 matris suæ. Quæ verba omnia faciunt ad ex-
 aggerationem tristitiæ matris calamitose. Ita
 nulla est calamitas sola. Antea maritus obie-
 rat, & sic corona capitis Jer. 13, 18. Eph. 4, 23.
 Deinde filius, quē unicum habebat. Ideoq̄, eò
 major est dolor, quemadmodū tenerimus amor

est unigeniti Jer. 6, 26. & testatur mulier illa
Thecois 2. Sam. 14, 5.

10. Respectu vivo: um, tum matris :
& hæc vidua erat. *Quæ, uti tactum, est adhuc
major miseria, unde viduatus inter diras im-
precationes ponitur, cum raro audiantur, licet
auxilium implorent Luc. 18, 4. cum ab omni-
bus exagitentur Sir. 36, 27. cum sint miserrimi
1. Reg. 17. 12. Omnis verò anima, ait Au-
gust. in Psal. 13 quæ intelligit se desertam omni
auxilio, nisi solius Dei, vidua est.*

11. Et respectu comitatus : & turba
civitatis multa cum illâ. *Nam cujus cor
non sauciasset id malum, habet Basilus? Quis
ejus lachrymas prætereat illachrymabilis? In-
tegram simul civitatem in luctum concitave-
rat iste casus. Viduæ compatiiebantur viduæ,
& matres prolem lugebant, patres adolescentu-
lum complorabant, juvenes juvenem flebant;
hi uti filium proprium, illi ut fratrem misera-
bantur, omnesq; tangebatur iste dolor, licet enim
privatum funus, fletus tamen est publicus,
habet Ambros. in orat. de obitu fratris. *Ve
discamus collachrymari, & condolere, lege
charitatis mutue Rom. 12, 15. 1. Thessal. 4,
18. Galat. 6. 2. Nam imus exequias, ut finis
nostri commonesiamus, funus præcedit, sequi-
mur,**

mur, & ideò sequimur: quia sequemur Ec-
 clet. 7, 3. secundo, ut spem futura resurrectio-
 nis concipiamus Zach. 14, 1. Sir. 7, 40. quia
 pompa funebris, agmen exequiarum, sumptuo-
 sa diligentia sepultura monumentorum opu-
 lenta exstructio, vivorum sunt aliqua solatia,
 non autem adiutoria mortuorum August. 32.
 serm. de verbis Apost.

12. Et exemplum divinæ potestatis,
 ubi Christus succurrens, cujus causa impulli-
 va mulieris afflictæ miseratio v. 13. In quo
 aspectus seu causa impellens: quam cum vidis-
 set Dominus. Postquam in prolixâ concione
 inter cetera dixerat: Beati lugentes, consolatio-
 nem accipiant Matth. 5, 4. adit etiam urbem
 Nain: & ecce efferebatur defunctus. Lugebat
 mater & tota civitas cum illa. Ideoq; meritò
 consolatur eam Dominus, aliis in comitatu
 omnibus neglectis, secundum illud propheticum,
 ad quem respiciam Psalm. 10, 5. Vidua sanè
 lachrymæ unigenitum traxerunt ad restituen-
 dam unigenito vitam & iis, siquidem ejus in-
 adversis immoderationem conspicatus, qui
 multus est ad ignoscendum sua sponte viduam
 accedens flammam doloris commiserationis
 suæ fontibus irroravit, ait Basilus Seleucienf.
 orat. 10.

13. Et effectus, quoad internum affectum: misericordia motus est erga eam. Id est, intimis cordis visceribus super eam commotus, ut miserendo misereretur Jer. 31, 20. ut partim testaretur mortuos esse lugendos, uti fecit Abraham, deflens Saram, Gen. 23, 2. Jacob Rahelem, Gen. 35, 19. Iosephus Iacobum, Gen. 50, 10. Christus Lazarum, Ioh. 11, 33. Et ita Dei mandatum Sir. 22, 10. c. 38, 16. 1. Thess. 4, 13. Non ut iuuetur proximus, sed ut testemur amorem nostrum, & defleamus humanam fragilitatem: partim ut probet, viduas sibi esse charas. Ita Deus proficitur, se esse viduarum iudicem & susceptorem Deut. 10, 18. Psalm. 10, 14. eas magistratui commendat Esa. 1, 17. Luc. 21, 2. religionem immaculatam nominat viduas visitare Jac. 1, 27. horrendas poenas minatur illis, qui viduas ledunt Ier. 5, 28. Et quia ad unius vidua lacrymas temporales, sic motus est Christus, ut occurreret in via, ut ex oculis stillantia dolorum fluentera restingueret, ait Chrysostr. serm. 103. Quid non sperarent & alij? Christus enim non ignorat nostros dolores, videt non tantum, sed & miseretur, facile commoveatur eius viscera Mat. 15, 32. Est enim revera misericors opifex, Matth. 4, 5. cuius misericordia extensa est super

per universum orbem terrarum Sir. 18, 12. in-
primis miseretur timentium se Jer. 31, 20.

14. Quoad affatum: Et dixit illi: no-
li flere. Cur verò non fletet illa, quae iustissi-
mam flendi occasionem habebat? quemadmo-
dum & Iephtha testatur Iudic. 11, 35. sed sunt
verba non improbantis, sed consolantis, non
prohibentis, sed erigentis. Ploravit & ipse iuxta
sepulchrum Lazari. Iohan. 11, 35. Moderatio-
nem luctus suavit, & spem gaudii sua resuscita-
tione fecit. Ita pietas fletum excitat, & oratio
stratum rigat, & precatio iuxta propheticum
dictum, lectum lavat. Fecerunt & fletum
magnum cum Patriarcha sepelirentur. La-
chryma ergò non sunt ilices doloris, sed pieta-
tis, ait Ambros. orat. 1. de obitu fratris. Et
certè, inquit Bernhardus serm. 28. Christus
ad tumulum Lazari, nec flentes arguit, nec à
fletu prohibuit, insuper & flevit cum flentibus.
Fuerunt lachrymae illae testes profecto naturae,
non indices dissidentiae. Docet verò cum monet
luctum esse moderandum. Est enim alias no-
xium flere nimium, quia nulla res ita inebriat
quàm tristitia, quae hominem ad mortem du-
cit, habet Hieron. in eap. 1. Joelis. & Sir. 22, 1.
Et stultum, cum sint mortui in manu Dei
Sap. 3:1. Est vanum cum post mortem hanc

nemo redierit in vitam hanc naturaliter, 2.
 Sam. 12, 23. Quin, inquit Chrysoft. Hom.
 3. de pœnitent. Detestanda sunt illa lachry-
 ma plena sacrilegio, plenissima incredulitate,
 que non habent modum, que usq; ad viciniam
 mortis accedunt, ait Hieron. epist. 25. ad Pau-
 lum super obitu Blæfillæ. Cur doleas, inquit
 Tertullianus de patient. c. 9. si periisse non
 credis? illud tamē frequens, ait Ambros. orat.
 2. de obitu Patris, in mulieribus ut clamores
 publicos serant, quasi metuant, ne earum igno-
 retur arumna, ut eluviem vestis affectent, qua-
 si in ea sit sensus dolendi: latet sub tristi ami-
 etu mentis lascivia & deformis horror vestis
 obtegatur, ut secreta animorum petulantium
 regantur. Discitur at inde consolandos esse
 lugentes, ait Ambros. in Hom. super Evang.
 dñ exemplum nobis præbuit imitanda pietatis.

15. Et causa formalis miraculi: ubi
 antecedentium mortui compellatio. v. 14.
 In quo, quoad factum respectu Christi: &
 accessit. ut Dominus mortis, Apoc. 1, 18. ut
 vita universorum, venenum mortis absorptu-
 rum mortem 1. Corinth. 15, 54. Mascule ergo
 accedit & tetigit loculum. Mortuus in loculo
 quidem materialibus quatuor ad sepulchrum
 fere-

ferebatur elementis, sed spem resurgendi habebat, ait Ambros. l. 5. in Luc. c. 7. quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis ante non proderat, tamen posteaquam Iesus id tetigit, proficere cepit ad vitam, ut esset indicio, salutem populo per crucis patibulum refundendam. Alias apud Iudaeos non licitum erat mortuos tangere, Num. 19, 11. hic tamē ostendere voluit, se legis Dominum esse, Matt. 12, 8. ut praeberet nobis exemplum humilitatis, ne reformidemus mortuos, inquit Ardentius. Et ut doceret, carnem suam vivificam esse. Christus enim in suscitandis mortuis non solummodo verbo, Cyrill. lib. 4, 14. in Ioh. atq; imperio, ut Deus utebatur; verum etiam carnem, quasi suam cooperatricem, nonnunquam adhibebat: ut re ipsa ostenderet, carnem suam, quoniam sibi est conjuncta, esse vivificam, atq; fideles doceret, suum non alterius corpus esse.

16. Respectu bajulorum: porro, qui portabant subliterunt. Visuri, quid facturum sit Dominus, qui noverant ad contactum ossium Elisei mortuum revixisse 2. Reg. 13, 21. Audito verbo Dei steterunt acerbi illius fune-
ris portatores, qui corpus humanum lethali fluxu naturae materialis urgebant. Quid enim aliud, quaerit Ambros. nisi quasi in quodam

fereat

feretro, hoc est, supremi funeris instrumento jacemus exanimis, cum vel ignis immodica cupiditatis exestuat, vel frigidus humor exundat; vel pigrâ quadam corporis habitudine vigor hebetatur animorum; vel concreta noster spiritus labe pura lucis vacuus alit mentem? Hi sunt nostri funeris portatores.

17. Respectu mortui. Et ait: adolescens, dico tibi surge. De mortuum tanquam viventem & dormientem sic alloquitur victor mortis, Marc. 5, 41. & nemo tam facile quendam suscitavit ex lecto, quam Christus ex sepulchro, ait Augustin. serm. 44. Mandat igitur morti ut abeat, vita ut redeat, ita probat se esse resurrectionem & vitam Ioh. 11, 15. cap. 14. 6. Itaq; divinitas ipsius in operando evidens indicium esse gloria & natura ostenditur Cyrill. l. 3. de Trinit. Et cum alij precando meruerint, hic in potestate habebat, ut omnia, quae fieri vellet, imperaret, ait Egesipp. l. 2. de excidio urbis Hierosolym. c. 12. Et cur addit illud Tibi? querit Seleucienf. orat. 10. simplicius non dictum fuit: Hens mortue surge: sed Salvatoris vox alios fuisset etiam virtute sua mortuos excitatura. Ideoq; adjecit illud Tibi. Ut ad eum tantummodo adolescentem mortuum gratia sua vim explicaret,

18. Et mortui vivificatio. v. 15. in quo effectus in facto: & reledit mortuus. Id quod factum est ad unicum verbum, ut unius resurgentis exemplo, ad fidem resurrectionis omnium concitemur, & credamus quod crux nostri corporis sit aratrum, fides semen, sulcus, sepulchrum, solutio, germen, expectatio tempus. Ut cum ver Dominici adventus ariserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas vitam resurgat in messem nescituram canitiem, non passuram falces, nec flagella sensuram. Quia depositis in morte vetustatis paleis novum gloriosi corporis consurgit in fructum, ait Chrysoft. serm. 103.

19. Et in verbo: cepit loqui. Ne putarent esse phantasma. Facientia ergo mortuorum corpora erexit, eosque nominibus suis inclamatos à morte revocavit. Quid congruentius Deo? Quid miraculo dignius omnium seculorum, quam decursam vitam resignasse, completisque hominum temporibus tempora adjecisse, arcana mortis revelasse, sed hac inennarrabilis potestas, imago virtutis majoris fuit, quàm demonstrabat, tantam vim habituram esse doctrinam suam, ut gentes in toto orbe, quæ alienæ à Deo subjectæ morti fuerant, cognitione veri luminis quimata ad immortalitatis premia pervenirent.

venis

venirent, ait Lactantius l. 4. c. 26. Sic est homo qui flagitium decrevit in corde. Mortuus est: sed intus jacet. Si autem usque ad membrorum perpetrationem pervenerit, elatus est foras. Sed & juvenem filium viduae suscitavit Dominus, quando extra portam civitatis mortuus efferebatur. Sic ergo audeo dicere: aliquid decrevisti in corde tuo, si revocaveris ab actu tuo, sanatus eris antequam perpetres. Si enim egeris in corde tuo poenitentiam, quia rem malam & sceleratam & flagitiosam damnabilemque decreveras, ubi uti mortuus jacebas intus, sic intus surrexisti. Si autem pecceris, jam es foras elatus: sed habes qui tibi dicat, juvenis tibi dico, surge: Etiam si perpetrasti, & poeniteat te, de proximo redi: noli in sepulchrum redire, sed & mihi tertius mortuus est, qui etiam perductus est ad sepulchrum, jam supra se habet consuetudinis pondus, moles eum terrena multum premit. Mulum enim exercitatus est in flagitiis, consuetudinis pondus, moles eum terrena multum premit. Mulum enim exercitatus est in flagitiis, consuetudine sua nimia pregravatur, clamat & Christus Lazare prodi foras. Homo enim pessima consuetudinis jam putet, merito ibi Christus clamavit. Nec solum clamavit, sed magna voce cla-

ce clamavit. Ad Christi enim clamorem, etiam tales, licet mortui, licet sepulti, licet putentes, resurgent tamen & ipsi. De nullo enim jacente desperandum est sub tali suscitatore, Augustin. de verb. Dom. serm. 43. Ita ergo resurrectio certa est, proinde mente integra, fide firma, virtute robusta parati ad omnem Dei voluntatem sumus, pavore mentis excluso, habet Cyprian. serm. 4. de mortal. immortalitatem, qua sequitur, cogitemus.

20. Et accidens: & dedit illum matri suae. Qui ante fuerat captivus, & per Christum a morte vicissim ereptus, atq; non matris amplius, sed Christi liberatoris erat, sed tradidit matri. Qua consolatio fuit latissima & efficacissima fore ut recipiamus nostros. Atq; ita etiam in morte quartum praeceptum durat, cuius ipse moribundus oblivisci noluit, Ioh. 19, 27.

21. Consequens est: tum populi admiratio. v. 16. In quo factum tum respectu affectus: excepit autem timor omnes. Ob insolitam rei magnitudinem, potentiam divinam agnoscunt, ut qui hunc primi ministerij sui a no revocavit a mortuis, resuscitarunt quidem & alij, sed no uno verbo, & propria virtute

nnl



nullus: Timor omnes cepit non servilis, sed & filialis ortus admiratione magna potentia.

22. Respectu effectus: Et glorificabant Deum. Quo docerent, opera Dei esse deprecanda, magnalia Dei agnoscenda. Inde Tertull. l. 4. adversus Marc. c. 18. resuscitavit & mortuum filium viduae, non novum documentum: hoc & Propheta creatoris ediderant; quanto magis filius? Adeo autem in illud usq. momenti nullum alium Dominus, Christus intulerat, ut omnes illic Creatori gloriam retulerint, dicentes: Magnus propheta prodit in nobis, & respexit Deus populum suum. Quis? Deus. utique cuius populus, & à quo propheta. Quod si illi quidem Creatorem glorificabant; Christus vero audiens & sciens, non corrigebat, & quidem in tanto documento mortui resuscitati Creatorem adhuc orantes, sine dubio aut non alium circumferebat Deum, quam quem in suis beneficiis atq. virtutibus honorari sustinebat: aut quale est ut illos tam diu errantes sustineret, ad hoc veniens ut errori eorum mederetur?

23. Dictum in genere: dicentes. Non enim sufficit admirari, sed requiritur etiam effari, & publicè gloriam Dei testari.

24. In specie: Quoad Prophetam:
Pro-

Propheta magnus surrexit in nobis. Per quem intelligunt illum, qui Deut. 18, 15. à Mo- se promissus fuerat, quo major nullus unquam fuit.


25. Et causa : Et DEUS visitavit plebem suam. Ambros. Hom. d. *Visita- vit Deus plebem suam mittendo filium suum incarnatum in mundum, quò & pia subventio- ne illum redimeret, & à longa infirmitate, imò à morte, liberaret. Visitat etiam quotidie ple- bem suam, per Evangelium, per dicta Prophe- tarum, atq; exempla precedentium Patrum.* Quis Deus ? ait Terrull. l. 4. c. 18. aduersus Marcion. utiq; cuius populus, & à quo Pro- pheta. Sic & Zacharias de Nativ. dicit, De- um Israelis visitasse populum suum Luc. 1, 68. ut qui donat Doctores, Pastores, Apostolos, Evā- gelistas, & Prophetas. Eph. 4, 1. Agamus igitur gratias filio, qui presentia sue incarnatio- nis nos visitavit; & ita oremus : O Misericor- dissime Domine Iesu, scio, me veraciter mor- tuum fuisse morte spiritali, & sic perdidisse vitam gratia, quia tempore vite natura innu- merabilia ferè peccata commisi scienter, deli- beratè, consensu & opere. Succurras ergò mi- hi, clementissime Domine Iesu, misericordiā tuā, ut à morte spiritali in presenti resurgam.

L. l. & vi-

Et vivam vitā gratia, & concede mihi ex im-
mensitate pietatis, ut finitā vitā nature per
mortem corporalem vivam vitā gloria, in tua
perenni laude in aeternum, uti loquitur Idio-
ta de contemplatione mortis c. 15.

26. Et publica Dei depraedicatione,
 v. 17. In quo amplificatur distributione sub-
 jectorum locorum. Et exiit rumor in uni-
 versam Judæam de eo. Quia majesticè mi-
 raculoso verbo hoc praestitit. Quò discamus
 Principum quidem consilia tacenda, sed Dei
 publicanda pro omnibus praestitis beneficiis,
 unde Chrylost. Hom. 26. in Matth. Nos ho-
 minum recordamur, & vehementius eorum
 amore succendimur, multò magis beneficio-
 rum memores, studiosiores esse debemus ad ipsi-
 us mandata servanda.

27. Et in omnem finitimam regio-
 nem. Ita non tantum propter socios, sed etiam
 inter peregrinos, beneficia divina sunt divul-
 ganda.



NOTE.

I.

CUm Jesus appropinquaret. Con-
 sidera mortis horam, & ubiq; mori
 homi-

homines : ut discas, te ad mortem semper
praparare.

II.

NOli flere, dixit.) Considera qui-
bus modis possit quis resurgere à pee-
catis : ut discas flere, & ita restituere Ec-
clesia.

III.

Propheta magnus surrexit.) Con-
sidera inter miracula corporalia, non
majus esse resurrectione mortui: ut discas,
inter spiritualia nullum esse prastantius,
conversione seu resurrectione spirituali.



CASUS I.

An sepulturæ jus sit Eccle-
siasticum?

Ita videtur: 1. Quia Christus curavit &
accessit, Luc. 7, 13.

2. Quia jus canonicum hoc docet.
c. non æstimemus. 19. c. 13. q. 2. c.
ubicunque est. c. placuit. 2. can. præci-
piendum 15. c. uni in Ecclesia 9. X.
de Simonia.

Ll 2

3. Quia



3. Quia ecclesiasticae personae circa
eam occupat potissimum.

Contra: 1. Christus dicit ipse, sine se-
peliri mortuos Matth. 8. 22.

2. Leges politicae de ea definiunt, un-
de tituli in ff. & C. de sepulchro viola-
to, & de sumptibus funerum.

3. Jura Episcopalia pertinent ad
summum Principem & Magistratum Ev-
angelicum per Recess. imperii de anno
1555. J. Damiel obberührte. Stephan. de
jurisd. & part. 5. lib. 3. c. 15. n. 6. Rein-
king. de regim. Eccles. class. 1. lib. 3. c. 4.
n. 16. Zanger. de except. part. 2. c. 1. n.
424. Herdes. in Cynos. Juris canonici.
Etiam hodie sepultura à Magistratu poli-
tico solet impetrari. Carpzov. lib. 1. resp.
9. resp. 86. n. 21. nec licet transferre se-
pultos absq. autoritate superioris, Gloss.
l. 8. & 39. ff. de religiosis. l. 1. & penult.
C. de religiosis.

Ad Contraria: 1. Curavit mor-
tuum suscitando, non sepeliendo.

2. Jus

2. Jus Canonicum apud nos non valet. Est enim in talibus suspensa Jurisdictio ejus ut supra allegatū. Vid. Reinking. l. 2. c. 7. spontaneo principum consensu receptum retinetur Sixtin. de Reg. l. 1. c. 4. n. 118 quatenus convenit cum divino c. fin. dist. 9. in externis magistratibus est executor. l. nemo cleric. C. de SS. Novel. 3.

CASUS II.

An erga viduas misericordia in collectis exercenda?

Non videtur: 1. Quia etiam vidua egenam ultimum quadrantem solvit Luc. 21. 2. Marc. 12, 42.

2. Quia Jura in oneribus patrimonialibus non distinguunt l. 9. C. de muneribus & honor.

3. Quia qui sentit commodum eum incommodum sequi necesse est. Unde etiam viduae divites non utuntur privilegio viduarum Maranta dist. 9. n. 195. Bartol. in l. unic. Vivius Neapolitan. decis. 511 n. 9. non habitant ratione an divites, an pauperes.

*Contra Deus miseretur hic vidua,
Luc. 7, 13. quia scriptura aliàs mandat ne
premamus viduas, Deut. 29, 37.*

2. *Jura vocant miserabiles personas
d. l. uni. C. Quando imperat. inter pu-
pil. Tesf. decis. Pedem. 177. n. 1. Ma-
scard. de prob. concl. 1064.*

3. *Quia equiparantur pauperibus
Thr. 5. Tiraquell. de privileg. in ptæ-
fat. Cardin. & Inno. in c. signific. X. de
offic. delegat. Alex. in l. 1. col. 3. ff. solut
matri. Decian. l. 1. n. 8. ff. de furt. omn.
Etiam vidue senatorum & aliorum, qui
immunitatem habent, non compelluntur
contribuere Guido. Papa decis. 279.*

*Ad Contraria: 1. Fall. cause: hoc
fecit ex libera voluntate, non ex coacta
necessitate; in sacris, non in prophanis.*

2. *Si habent ea, interim tamen ha-
benda est ratio circumstantiarum, ne per-
sonalibus onerentur, & ne hospitia cogan-
tur præbere.*

3. *Licet sentiant commodum, ta-
men non est tantum, quantum incommo-
dum,*

dum, quum & divitibus competat privilegium personale personis Gail. obs. 32. n. 40. Rolan. à valle. cons. 76. n. 34. Tuschus lit. M. concl. 273. n. 14. Covarruv. pract. quæst 687. quia generaliter loquitur constitut. l. j. §. generaliter ff. de legat. nam & divites vidua hominum injuriis exposita. Quaedam personæ sunt miserabiles habitu non actu, uti vidua & pupilli divites; quedam habitu & actu, ut pauperes. Panorm. in c. signif. n. 6. X. de offic. deleg. Etiam præterisse illam distinctionem Imperatorē verisimile est, quæ in sacris non adhibetur, ait Vult. d. l. un. n. 10. Carpzov. in Respons. lib. 2. respons. 11. n. 24. Alia verò ratio est viduarum illustrium, quæ judicum inferiorum potentiam non exhorrescunt. Et licet in Romano Imperio non habeat amplius locum Constitutio propter conventionem Imperatoris, tamen Principes in suo territorio, uti eâ debent Vult. ad l. uni. n. 21. dum & extra Romanum Imperium valet, ut in Hispania & in Anglia.

CASUS III.

An peregrini præsbyteri si funus humanum, & ad sint unà vocati, præcedere debeant?

*V*idetur: 1. Quia Christus hic præcessit.

2. Quia ambitio fugienda. l. fin. ff. ad L. Jul. de amb. 3. Peregrini sunt honorandi.

Contra: 1. Hic legitur quòd mater eum suis incolis concommitata sit funus.

2. Quia ordinarij præferuntur, & domestici peregrinis in l. nihil. C. de Palatin. unde & prior Abbas in sua diœcesi Canonicis etiam cathedralis Ecclesiæ Tiberij Deci. volum. 2. resp. 67. n. 3. per c. 1. de off. Archi. Quin imò Archidiaconus absente Episcopo sustinet vices ejus. X. per. c. 1. & tot. tit. l. 2. & 3. C. de officio militari.

Ad contraria: 1. Fall. conseq. obviavit Christus & occurrit, non comitatus.

2. Non est ambitiosus qui dignitatem suam tuetur, sed crudelitas est negligere: in c. noli. in princ.) 2. q. 1.

3. Honorandi sunt, sed sine dedecore alterius, quia honor præferendus omnino commodo pecuniario l. reprehend. C. de inst. & iustit. Speckhā cent. 2. q. 1. clas. 1.



Malleus ut squamas petrarum discutit,
utque

Disipat in duris malleus omne genus,
Sic & tristitias Christus Naina profectus,
Quando discipuli turbaq; multa comes.
Venit ut ad portam propior, modo mortuus
urbo

Efertur, vidua matris is unus erat.
Christus ut hanc vidit, tetigit misratio men-
Ejus, ait: noli flere! quiesce modo! (tem
Accessit propius Christus tetigitq; feretrum,
Basulus us stat, ibi surgito! Christus ait,
Mortuus ecce resedit & una favier insit:
Fuit matri vivum reddidit ipse sua.
Inde Deum laudant: quia magnus is ipse Pro-
pheta

Surrexit, plebem visitat ipse Deus.
Hinc timor & rumor Iudeam transit omnem.
In simul implevit finitimosq; locos.
Mortuus ac uno de morte resurgere verba.
Si juvenis potis est, qui timor ergo mori?
Pluribus ista Schelhammerus proponit. At
idem

Pergat! erit quatiens malleus ille Des.
optat

GUEINZIUS

Mortali nulli jus irrevocabile mortis
Fas violare, timec quin reus omnis
idem.

Hoc est immensum valet unica dictio Christi,
Malleus ut penetrans pereutiensq; simul.
Gnatus id expertus Vidua jam prole carentis,
Mortis dum sortem jam nova vita mutat.
Talia Schellhammeris satis tua memata mō-
Pergito! sudoris digna brabea feres. (Strani:
festina manus f.

David Windreuterus
R. M.

Multa senum, ac juvenum densantur fu-
nera: nullum
Corpus fugit Proserpina;
Ultima fax cessit juveni, nox occidit una,
Multis bonis & flebilis:
Malleus est Christi conquassans, osq; tremē-
Concussit unæ vincula. (dum
Fulmina cum ^{struunt} ~~caelum~~ cœlum, concussa
remugit,
Tellus sono, styx, flumina:
Malleus at Christi pulsabit, surgite! quando,
Tumbæ refundent, concitæ.
SCHELLHAMMERE canis multis hunc, per-
gito; Christi
Erit, felix tū malleus.

Johannes Andreas
Untzerus H.S.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C



Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ARUM
ICARUM
o XLVII.

IDE
GUEINZIO
Hallensis

ore
dente,
Schellhammer
rg. Sax.
post Trinitatis.

. Inc. III.
✻

XONUM
Melchioris Oel-
gely